

Dissertatio inauguralis medica de lactis cauto usu medico ... / [Christian Gottfrid Webel].

Contributors

Webel, Christian Gottfrid.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1730]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a3efhmc6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

52639/P

15522



HIPPOCRATES



GALENUS



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
LACTIS CAUTO USU MEDICO,

QUAM AUSPICE DEO PROPITIO
Auctoritate Gratiſſe Facult. Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

Præſide

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

Sacr. Maj. Reg. Boruff. Aul. & Conſiſt. Magd. Conſilia-
rio, Med. & Philoſ. Nat. Prof. P. O. Acad. Nat. Cur. Collega,
Societ. Reg. Boruff. Scient. Sodali, &c.

Decano ſuo Spectatiſſimo,

Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore ſuo honoris cultu
proſequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

Hor. Loc. conſuetis An. 1730. d. April.

Publicæ Eruditorum Ventilationi ſubjiciet

Respondens

CHRIST. GOTTFRID WEBEL,


Querfurta - Saxo.



DIOSCORIDES



PARACELSUS



Regnum Vegetabile

Regnum Minerale

LACRIS CAUTOLUSI MEDICO

DR. D. MICHAEL ALBERTI

PRO GRADU DOCTORIS

CHRIST. GOTTFRIED WEBER



PROOEMIUM.



Ingenua Simplicitas in omnibus humanis negotiis & institutis salutare & prosperum sibi promittere potest successus, quæ vero & ipsamet justo ordine & legitimo usu atque processu niti debet, quare recte *Xenophon* in *æconomicis* judicat: *nihil hominibus æque utile ac honestum atque decorum est, ac bonus & legitimus ordo*: hic ipse ordo in rerum simplicium usu valde commendandus est, quoniam illarum utilitas & salubritas sub promiscua applicatione eminenter evilescit: quemadmodum enim juxta *Senecæ* effatum *Ep. 95. Simplex erat ex simplici causa valetudo*: ita veritati etiam consona sunt, quæ addit: *multos morbos multa fercula fecerunt*: vide quantum rerum per unam gulam transiturarum permisceat luxuria, terrarum marisque vastatrix: Et ita semper ad longam vitam & firmam sanitatem simplex

victus & potus admodum laudantur, adeo ut extra
 Medicorum forum & testimonium notatu digna sit,
Hieronymi lib. 2. adv. Jovianum & de Consecrat. c. 30. distinct.
 5. confessio & enarratio: *Legimus, inquit, quosdam*
morbo articulari & podagræ humoribus laborantes, proscri-
ptione bonorum ad simplicem mensam & pauperes cibos reda-
ctos, convaluisse: iustus, congruus & ordinatus itaque
usus rerum, etiam simplicium, utilitatem probat:
quam ob rem Senecæ effato lib. V. nat. quæst. adhære-
mus, quando circa finem adserit: nihil invenies tam
manifestæ utilitatis, quod non in contrarium transferat cul-
pa: hoc assertum illustrat Isocratis in Archidamo p. 247.
sententia; nihil rerum omnium per se omnino vel malum
est, vel bonum, sed ut quisque rebus atque occasionibus uti-
tur, ita necesse est eventus similes inde consequi. Inter mul-
 ta alia simplicia subjecta hoc loco tantum *Lactis* usum
 feligimus, qui a primis mundi ævis commune præ-
 buit alimentum, & selectæ quidem bonitatis: quare
 Sacer Codex loca & provincias, externis naturalibus
 bonis & donis prædita, singulari hoc prædicato desi-
 gnat & describit, quod sit *terra lacte & melle adfluens*
Exod. III. 8. aut si aliquid gratum, proficuum, acce-
 ptum & fructuosum significare vult, cum *lacte & melle*
 æquiparare solet: v. g. *Cantic. IV. 11. mellifluam habes*
lactifluamque linguam &c. Quare lactis usus, esus &
 potus in Patriarchali œconomia consuetus fuit; quis
 vero crediderit, quod antiquissimis illis temporibus
 tantum, sicut aliarum rerum, ita & Lactis usus fami-
 liaris fuerit legitimus & conveniens, quoniam luxu-
 ries etiam tunc temporis hominum occupavit ani-
 mos

mos & appetitus ; & quamvis teste *Plinio lib. 8. c. 45. & 30.* quædam gentes lacte in diætâ utebantur , aut secundum *Mixaldum Cent. 1. aphor. 14.* quidam homines solo lacte & caseo vixerint , & secundum *Baricellum in opusc. de Lactis , Seri & butyri facultatibus & usu Lib. 1. c. 1.* Gethæ & Scythæ γαλακτοπόται & γαλακτοφάγοι nominati sint , & juxta *Sebizium de aliment. facult. Lib. 3. c. 7. p. 751.* recenseatur , quod Lac , caseus & butyrum non solum rura nostra alant , sed etiam urbium pastus numerosis & jucundis ornent dapibus , nihilominus tamen *Claudinus in tr. de Usu & Natura Lactis* significavit , quomodo inter antiquos æque ac alia temporum æva etiam hujus simplicioris substantiæ abusus innotuerit : quam ob rem cum *Demosthene contra Eubilidem circ. fin. p. 543.* profitemur : *qui re bona & justa sunt abusi , vituperandi sunt.* Et quis non agnoscat , quod promiscuus Lactis usus salubris esse haud queat : quando enim in generali hac meditatione Diætetici tantum Lactis usus reminiscimur , tunc diversi etiam abusus illius innotescunt : in simpliciore quidem Diætâ , usus Lactis fructuosior extitit ; sed qui hodiernos mores & modos advertit , facile confitebitur , quod variæ cautelæ circa Lactis diæteticum usum indicandæ sint : quare cum *Seneca in cit. Ep.* exclamamus : *innumerabiles esse morbos miraris , coquos numera ! immunes erant a tot morbis , qui nondum se deliciis solverant , qui sibi imperabant , sibi ministrabant :* Quis non agnoscat , quod avidis faucibus ingestum lac , & plena cum eodem corporis saginatio , vitæ & sanitati plus detrimenti , quam adjumenti adferat ! Lac per naturam proprie teneris subjectis

dicatum est, quia multum & cito nutritioni favet; qui vero homines tanta nutrimenti copia haud indigent & tamen plenis buccis lac ingurgitant, naturæ ordinem violant, sibiq; damna conciliant: Ob id varii abusus committi possunt cum Lactis ingestione, ratione quantitatis, respectu qualitatis & quoad diversam commiscelam; qui enim præter reliquum victum plenum, lautum & pinguem multo lacte utuntur, illi rectius inde damnum, quam salubritatem impetrabunt: qui lac valde pingue, crassum & consistens præfente consueta humorum crassitie largius ingerunt, illi plus nocumenti, quam emolumenti obtinent; qui lac cum variis miscelis salitis, acidis, mellitis, saccharatis, acribus, valde fermentantibus, &c. libere utuntur, illi multis damnis se subjiciunt: inde liquet, quam caute & ordinate sub communi diætâ Lactis usus sit instruendus: ut ut enim juxta *Galenum Lib. 3. de alim. fac. c. 15. & Lib. de bonit. & vit. succ. c. 4. Lac optimum omnium fere ferculorum optimi succi est*, attamen secundum *Plinium lib. 26. Hist. Nat. usus*, videlicet, justus efficacissimus rerum omnium magister est; hinc Lactis usus diæteticus ætati, temperamento, viribus, sanitatis statui & gradui, morum & animi pathematum diverso successui, primarum regionum qualitati, reliquæ Diætæ rationi, discrepanti ventriculi aliorumque viscerum robori, anni temporibus, variis aëris qualitatibus & tempestatibus, consuetudini, aliisque personalibus, individualibus & accidentalibus circumstantiis accommodandus est: & hi respectus præcipue habendi sunt cum *Lactis usu in Diætâ Sanorum*,
quam

quamvis innumeri Medici idem Lac usu Diætetico in valetudinariis commendare soleant; *conf. Galen. l. 3. de alim. fac. c. 12. Job. Costæi tr. de facili Medicina per Serî & Lactis usum Lib. 3. Wynterus in tentamine circa morbos ebronicos cap. 3. multique alii.* Si itaque in hominibus sanis Lac congrue & provide adhiberi debet, tanto magis eadem circumspectio observanda erit in ordinatione Lactis, quando medicamentosus effectus, cum illo intenditur: hæc consideratio nos permovet, quo præsentî Inaugurali themate & Specimine de LACTIS CAUTO USU MEDICO succinctam aliquam disquisitionem & animadversionem suppeditemus, cui instituto, ut DEUS benignissimus cœlitus annuat, prosperosque largiatur successus devota mente precamur.

§. I.

IN recensendis *laudibus Lactis*, luxum committere haud placet, siquidem *tot ac tantæ* de eodem utilitates deprædicatæ sunt, ut *superfluum* & otiosum opus esse judicemus, si quid *plus* in *hoc* themate committitur, ubi tamen nullus *sincerus* observator inficias ibit, quin in *talibus* laudibus sæpe eximia verborum *lenocinia* & magnæ *adulationes* occurrant, dum non raro varia judicia *affectionis* pretio nituntur: ast ne plenis buccis talia circumferantur & transcribantur elogia, neve *præjudiciosæ* quædam sententiæ illos rugosa fronte & altis superciliis carpant, qui de tam *amplificis* & mirificis laudibus *dubitant* & ambigunt, in quos aliquando illud sciolum eructatur scomma, quasi *congrui* modi, lacte utendi, *in scii* sint,

sint, siquidem pro ridiculo sæpe *fastus* humani more, *sibi* nonnulli tantum *sapientes*, æstimant, quasi *aliis justus* modus adhibendi, aut commendandi lac *mysterium* existat, propterea *dignam* hanc præsentem tractationem judicavimus, quo *malus* usus lactis a *bono* discernatur, bonus hic usus in foro medico magis *confirmetur*, adeoque varia *præjudicia* declinentur & infringantur: unde sub *justo* tali usu, Lacti *laus* sua non subtrahitur: neque etiam præsentis instituti scopus est, vel in compendio saltem hasce commemorare laudes, siquidem inter *multos* alios scriptores vel *unicum* *Job. Raym. Fortis* nominamus, qui in *indicibus* prioris & posterioris *Tomi Consult. & Respons. Medic.* copiosissimam talem farraginem producit, ita ut facile inde liqueat, quomodo ad *plurimos* morbos, *panaceæ* instar, lac commendatur, licet attentis observatoribus incognitum esse haud queat, quam sæpe cum evanido successu & frustraneo eventu, quidam ad lactis usum, velut ad sacram anchoram & asylum confugerint: imo non raro in *arduis* morbis *extremum* hoc auxilium conquiritur & ordinatur, sed perinde sine exoptato interdum successu & effectu, ut dehinc sterile resonet solatium: ibant qua poterant, qua non poterant stabant: interim non parum cruciat selectus lactis animos, siquidem referente *Sebizio de aliment. facult. lib. 3. cap. 7. p. 755.* juxta antiquiores medicos & physicos *differentia* lactis, pro *varietate animalium*, *anni temporum* & *pascuorum* valet: unde vulgo lac *humanum*, *caprinum*, *ovillum*, *vaccinum* & *asininum* commendari solet: quam ob rem *Galenus lib. 10. simpl.* monet, *illorum animalium lacte utendum esse, quæ non longe a natura humana absunt*: hinc ovillum, caprillum, bubulum partim pro *alimento*, partim pro

pro medicamento, humanum etiam & asininum non raro pro medicamento subjecto commendatur: ex hisce speciebus hodiernum caprillum & asininum præferri solent, quoniam utriusque consistentia, temperata & tenuis, liquida & diluta existit, in qua haud copiosa portio crassæ, mucidæ, caseosæ substantiæ reperitur: seorsim vero Galenus & Aristoteles asininum lac suis temporibus pro tenui agnoverunt: ob id etiam recentiores eximiis hoc lac celebrant laudibus, quoniam ob suam tenuitatem facile penetrat, diluit, temperat, resolvit, attenuat, abstergit, &c. nec aliud in hoc animali quam aquosum & famelicum lac ob pabulum vile expectari potest; quam ob rem plurimum serosa sua portione operatur, attamen interdum de re quapiam plus prædicatur & promittitur, quam dehinc actu obtinetur, id quod de lacte asinino valet, cujus stentoriæ laudes non omnibus votis, elogiis & promissionibus respondent, nedum quidem singulos declamatos effectus exserunt: quare hoc loco verba Cipoli Monachi allegari merentur, qui in oratione funebri asini Ponocratis de Asino dicit: adeo minima quæque bujus bestię pars NB. NISI MENTIUNTUR PRÆCLARI SCRIPTORES mirabiles habet vires. Piëtorius in Zootrophio progymnas. X. p. 86. ita de lacte asinino judicat: asinæ lac multorum morborum medela esse fertur, nullis sane certiore opem ministrat, quam suis asellis: & nimis vile de humano lacte aliqui judicant, quando asininum humano propius accedere non verentur adstruere; quid sentiendum sit de judicio Ludovici in Pharmac. modern. seculo accommod. diff. 1. p. n. 283. quando profitetur: vere Phthysicos nec Lac humanum, nec æque horribile asininum caprillumve, quantum nos quidem vidimus, constanter

B
juvit.

*juvit, aut citra majorem sæpe putredinis intensiorem le-
vit, attendant æqui arbitri: lepidæ fane sunt narrationes,
quas proferunt Gockelius Cons. med. XIX. p. 217. & Helmon-
tius in sextuplic. digest. aliment. human. prior dicit: caveant
sibi, qui diu admodum atque copiose hauriunt Lac asinæ, ne
mores induant patientissimi animalis, uti accidit illi, qui lacte
caprino nutritus, cum adolevisset, semper saltabat, plantas-
que abrasit petulantius: posterior profitetur: lac asininum
plus reficit & recreat; imo & hætenus nutrit, non quan-
tum serosius est: id enim est cortice tenuis judicasse de viri-
bus nuclei, nunquam antea visi: ast asina quatenus longæva,
lac ceteris quadrupedibus præstantius habet: necesse est enim
quod & lac ejus Archeum longæva vita dotatum, habeat, &
hoc scilicet, non nisi longe post suum separat Colostrum, quia
tardius corruptioni auscultat: sequestratio enim ista ad dua-
litem & destructionem tendit: hinc patet, quod cum in pu-
eritia alimentum convertatur in ipsa nostri constitutiva, asi-
ninum lac pueris vitam longævam atque saniozem præ ceteris
conferat. Mira fane hæc sunt lactis asinini elogia,
quibus multa alia addere possemus, si non nostro propo-
sito consultius satisfacere malimus.*

§. II.

*Sed ne in alienis meditationibus morari videamur,
nunc propius ad præsentem disquisitionem accedimus &
salubrem Lactis usum sub circumspecta ejus ordinatione in-
dicabimus; etenim si omnia subiecta ad penum artis me-
dicæ referri solita, incongrue & sinistre usurpata, nulla reme-
dia evadunt, sed certa & eminentia damna ut plurimum in-
ferunt, ita prudentis etiam artificis officium est, quo neces-
sarias cautelas observet, quæ remedii cujusdam usum con-
cer-*

cernunt, siquidem inter *usum & utilitatem* alicujus rei, eximia adhuc intercedit differentia : proinde sensus *naturalis* confirmat, quod *promiscuus* rerum usus nullam *fidam & certam salubritatem* promittat ; quam ob rem ex ipsa observatione *antiquiores* medici Lactis *insalubrem* usum annotarunt,quam observationem *posteritas* medicorum ulterioribus & uberioribus annotationibus adauxit, & variis *rationibus* illustravit & confirmavit. Hinc plurimi Medici Lactis usum & utilitatem probantes, *Hippocratis* effato nituntur,quando exceptiones & cautelas quasdam practicas,Lactis usum attinentes,proferunt: provocant itaque ad *Sect. V. aphor. 64. Lac dare*,dicit Senex,*capite dolentibus,malum: malum vero & febricitantibus & quibus hypochondria elevata murmurantia & siticulosus: Malum etiam, quibus biliosæ dejectiones & acute febricitantibus, & quibus copiosa sanguinis facta est egestio* ; quo loco plures adhuc continentur cautelæ: proinde plurimi periti,attenti & judiciosi medici non modo sollicito studio indicarunt,in quibus affectibus & subjectis Lactis usus *fructuosus & perniciosus* existat, sed & sub quibus *modis,usibus & circumstantiis* Lac utilitatem suam exhibeat,aut contra,eadem destituatur: quare in illis affectibus & subjectis, quibus Lactis usus *proficiuus* æstimatur,regulæ & cautelæ congruæ commendandæ sunt, ne *perversus* usus *salutarem* illius effectum infringat & *annihilet*: quam ob rem multi ex antiquioribus & recentioribus in *consiliis* suis notatu dignas protulerunt cautelas medico - practicas Lactis *salubrem* usum concernentes: Et quoniam *non raro ultra* dignitatem & meritum Lac commendatur,imo instar *asyli* alicujus aliquando in foro Medico declamatur, aut plane citra

necessitatem aliis auxiliis *præfertur*, vel ex vano *præjudicio* miris elogiis circum- & transcribitur, aut cum detrimento *aliis methodis* intermiscetur, ita hanc discretionem & *judiciosam* ordinationem Lactis sub ejusmodi scopulis, dignam æstimavimus, ne frivolis aut nugacibus, fugacibus & perverfis illius commendationibus facile subscribamus: Quo loco duplicis *incongrui* Lactis usus *generatim* adhuc remiscimur, quando *primo salubritatem* Lactis *medicam* ex *aliis* gentibus, nationibus, climatibus &c. promiscue in *nostras* transferimus & respectum notatu perquam dignum, *constitutionis corporum, virium, sensibilitatis, diætæ, aëris, loci, aquæ, consuetudinis, vitæ generis, excretionum* &c. *præterimus*, aut *negligenter* conciliamus: siquidem haud in sensu *universali* Lactis usum medicum, servata etiam *aliquali methodica* ordinatione, *salubrem* prædicare possumus, dum pro differentia *mixture specialis* humorum, Lac uni *proficat*, alteri *officit*: ob id antiquioribus, ob *diætam simplicem & temperatam* Lac & *alimentum & medicamentum* fuit, quod *recentioribus* modis & *moribus* diæteticis haud exacte quadrat: *deinde* error etiam committitur in *novorum* inventorum declamatione, reformatione & applicatione, quando videlicet *novus* quidam *mos* (in Trachten, in Essen, in Arzeneien) mox suos affectas invenit, ita ut huc etiam quadret illud Philosophi effatum, quod nullus error aut nullum commentum inveniatur, quod non Patrocini-um obtineat; hinc *certaine* inventiones per *initia* eximiis superbiunt *elogiis & garrulis* quandoque luxuriant testimoniis, post *brevem* temporis moram *evilescunt*, testimonio *Sacchari Lactis* &c. id quod etiam valet de *variis* experimentis, circa Lactis usum *medicum*, cognitis, quando modo

per

per *decoctionem*, per *præcipitationem*, per *inspissationem* &c. varia *arcana* suscipiuntur & promittuntur, quæ tamen seposito omni *præjudicio* quoad *effectum*, qui expectatur *vano* sæpe & *profana* sunt.

§. III.

Ne vero *Lactis* usus magis *damnum*, quam *commo- dum* afferat, primo quædam *generales*, deinde etiam *spe- ciales* nonnullæ cautelæ observandæ sunt: *Generatim* itaque *Lactis* ingestio *ventriculi* sufficiens robur requirit, quo mediante *tempestive* in intestinorum canalem, indeque *intimius* intra corpus deferri debet: quodsi enim ob ventriculi *imbecillitatem* Lac *diutius* illico detineatur, tunc non modo *inimicam* coagulationem & *visciditatem* induit, sed varias *impuritates* biliosas, acidas aliasve illico latitantes & coacervatas in suam *miscelam* suscipit, unde multiplicia *morbosa* pathemata, *angustiarum* præcordialium, *inflationis* ventriculi valde angentis, prostrationis *appetitus* & *virium*, conatuum *vomibundorum*, torminum *colicorum*, *diarrhæarum*, valde molestæ *flatulentiae*, motuum & insultuum *febrilium*, quos vulgo Magen-Sieber nuncupant, febris *Hemitritææ*, intermittentis *confusæ*, aut *lentæ*, morborum *mesenterii*, obstructionum *glandularum* intestinalium & *mesenterii*, & aliorum connexorum viscerum oriuntur: quare etiam jam passim medici de *illa* quæstione ambigunt & disceptant, an *Lactis* usus *ventriculum* etiam *enervare* queat, quam aliqui *negant*, (*vid. A. E. L. An. 1766. Mart. p. 127.*) alii *affirmant*; licet *negari* haud queat, quod *incongrua* *Lactis* ingestio *ventriculo* molesta & *in- fensa* existat, imo *cruditatibus*, *ventriculum* *oneranti- bus*, generandis & *augendis* facile inserviat: quare & *illis*

Lactis usus *minus* consultus est & *fructuosus*, qui ex *dieta* prægressa nunc multas tales *acidas* aliasque *salsas* impuritates, aut *cruditates* coacervaverant, in quibus Lac loco speratae *emollitionis* & *abstersionis* mox in ventriculo *similes* qualitates assumit, præsentis impuritates & *cruditates* auget & *morbosa* pathemata aut *accelerat*, aut *augmentat* & *exacerbat*: Quicumque homines pro ratione *ætatis*, *temperamenti*, *dietae*, *climatis calidioris*, *motus corporis*, *animi pathematum* &c. facile *bilem* generant & *magnam* ejus copiam in *ventriculo* & *reliquis* primis regionibus detinent, illis Lactis usus *medicus* manifeste *nocivus*, siquidem ille ad *morbos cholericos* & connexos alios facillime & certissime disponit: Quicumque ex *potu* vel consueto, vel crebro *vinoso* multam *aciditatem* in *ventriculo* & *primis viis* collegerunt, illis Lactis usus *medicus*, confestim ordinatus, non *medicus*, sed *perniciosus* existit; dum Lac in *hisce* partibus cito *spissam coagulationem* assumit, *canalem* intestinorum moleste *opplet*, vasculorum eo abeuntium *ostia obstruit*, *morbos intestinorum* & *mesenterii* causatur, *tubem*, *febrem lentam*, *atrophiam*, *hecticam* &c. infert, aut *inimicam confermentationem* in *hisce* partibus subit, & *inde* *pendentes* graves *morbosas* afflictiones excitat: Lactis enim relatio ad *aciditatem*, præc. copiosam, & ad *vinum* admodum incongrua est: *conf. Casp. Rejesii Camp. Elys. juc. Qu. 49.* In quibuscunque subjectis ob prægressam *pravam dietam*, ob *intemperantiam* & frequentem *crapulam*, ob præmissum *vomitum*, ob crebriorem *purgantium* usum, ob retentam *flatulentiam*, ob *incongruorum medicamentorum* usum, ob multas *congestionem* & *translationes* sanguinis in *hypochondria* &c. *ventriculus* valde *enervatus*,
in

in illis Lactis usus perinde *inconveniens* & *sinister* existit: in *quibuscunque* morbis *multa acida* impuritas in *ventriculo* generatur aut coacervatur, in illis Lactis usus sollicitè vitari debet: tale quid in *hypochondriacis* communiter contingere solet, quare in *hisce* ob *hanc* etiam rationem Lac *facilius noxam* affert: quo referimus *Riedlini* assertum in *Curarum Medicarum Cent. IV. obs. 347. obesse potius, quam vel minimum prodesse nimia illa quorundam remediorum elogia, ita Lac hypochondriacis præcipue non semper tuto commendari, hisce illud non nisi variis commendabis*: in plurimis porro morbis, ubi *ventriculus graviter* afflictus est, vel plane *non*, vel maxime *circumspecte* Lac ordinari debet, ubi ratio simul habenda est, *maturæ* promotionis Lactis *e ventriculo*, post *præviā* necessariam *correctionem*, in eodem præstitam, testimonio *veneni*, aut *philtiri* oblatis, qui casus ob *indicatos* respectus Lactis usum indicant; hinc in *moliminibus* ad *vomitum cruentum* tendentibus, aut ipso *actuali* vomitu cruento, aut proxime *post* illum, Lac bibere consultum *non* est; quod etiam valet de *inflammatione* ventriculi, de *excedente* vomitu in plurimis casibus, ubi *jam causa* ventriculi *intrinsecam* regionem afficiens, expulsa fuit & vitium adhuc in *motu* hæret, in quo casu valde *ambigue* Lac *spasmos* lenit, certius vero *mole* sua (& ubi *affluxus bilis* intra *ventriculum* continuat,) nec non *adversa fermentatione* hujus bilis cum Lacte & oboriente *magna irritatione* ventriculi, *excessivo* motu affecti, illum magis ad *excretionem* proritat & *stimulat*: Quas circumstantias præsentī practica animadversione quoad *ventriculi* relationem ad tolerantiam Lactis annotare placuit,

it, quibus *plures* addere possimus, ni hæ *speciminis* & *demonstrationis* loco sufficere & satisfacere possent.

§. IV.

Quando porro quidam homines *magna Sanguinis Spissitudine* & humorum *visciditate* laborant, tunc Lacte *vaccino* uti, consultum *haud* est, neque etiam *plenior* copia Lactis *Caprilli*, aut *Afinini* conducit; *pauca* vero quantitas *hujus* Lactis plane *nihil* utilitatis affert, quoniam *crassior* Lactis portio, in *coagulum* prona, non modo præsentem sanguinis *crassitiem* sustentat & *adauget*, sed & imminentes *obstructiones* accelerat & sublevat; & quoniam *tali* sanguine præditi homines, *communiter acidas* impuritates & cruditates in primis regionibus continent, ita cum *hisce* Lactis ingestio *non bene* convenit, quæ potius *copiosiores* & *deteriores* impuritates accumulatur: imo quoniam sanguis spissus multum *obstructionibus* inferendis, confirmandis & augendis quadrat, ita ob traditas quasdam rationes, Lactis usus in *tali* necessitate *minus* proficuum est: ob id *Galenus lib. 3. de alim. facult. c. 15.* adserit, quod Lac inferviat ad *Hepatis* infarctum & subjectis quibus *exilia* sunt vasa minus quadrat; ita porro symbolum & testimonium suum conferunt *Aerius de re med. lib. 2. c. 90.* *Valesius in lib. 3. Epid. Hipp. Sect. 3. ægrot. 13.* *Ægineta in præceptis salutaribus c. 87.* qui singuli Lac in obstructionibus interne adhibere valde prohibent: eapropter etiam in *talibus* ægrotantibus, in quibus aut glandulæ *minores*, aut *aliæ* partes, velut *pulmones*, *splen* &c. *induratione* quadam laborant, Lactis usus medicus *minus salubris* esse deprehenditur, dum *infarctus* tales magis obfirmat, nutrit & *auget*: Siquidem præter *Hippocr.* etiam *Dioscorides lib. 2. c. 62.* Lac *Splene-*
ticis

ticis & hepaticis respuendum esse tradit: nec hic plenis buccis & erectis auribus superciliosa & gloriosa *experientiae* ostentatio & jactantia advertenda, dum quilibet sub hoc scuto militat: *judicio* sane opus est, quo *rariores & accidentales* effectus a *crebrioribus* separentur: inde facile e frequentiori & a *præjudiciis* magis liberata observatione inclarescet, quod in *prædictis* casibus Lac *plus detrimenti*, quam emolumenti afferat, ita ut *ratio & observatio* sufficienter hanc adsertionem comprobent: & si aliquando *una* aut *altera* historiola quæ contrarium elicere & evincere videtur, narratur, tunc una hirundo non facit ver; neque sufficit tantum in *talibus* casibus Lac commendare, si desunt testimonia & suffragia *actualis salutaris* effectus: quam ob rem laudanda utique illa est observatorum sinceritas & solertia, quando non modo *suo* judicio & consultatione significant, quod hoc vel illud remedium, in hoc vel illo affectu *proficuum* esse possit, sed quando etiam *fido testimonio* addere possunt, quod *tale* commendatum remedium spei, *promissioni* & expectationi etiam *actu satisfecerit*; nam interdum de rebus medicamentosis *plus speramus*, quam deinde *impetratur*: confirmat *prædictam* observationem testimonium in *praxi* medica multis exemplis manifestum, quod *Melancholico* temperamento *eminentius* participantibus, si simul *valetudinarii* sunt, ægrius *simplicem & liberalem* Lactis usum perferant; unde non modo *ordinariorum & necessariarum excretionum* impedimenta nanciscuntur, sed & viribus magis *torpescunt* & varias in *hypocondriis & pectore angustias* experiuntur: loquimur vero de *simplicioris* Lactis usu; *haud* tamen propterea *quemlibet* in talibus subjectis usum Lactis condemnamus, dum

Lac, cum *Dococtis* dilutum, quæ una *morboſo* affectui *qua-*
drant, aut cum aquis *foteriis* congruis mixtum, *utilitatem*
 aliquam ſecuriorem & *certiorem* promittit: Præterea La-
 ctis *liberalior* uſus, præſente humorum *cræſſitie*, valde ad
polypoſorum concrementorum generationem contribuit,
 dum ſanguinem, alias in *ſtagnationem* pronum, *viſcoſis* &
 glutinofis talibus partibus accumulatur, quibus in variis par-
 tibus *adhæreſcit* & talibus concrementis *primam originem*
 parat: & dum Lac in talibus ſubjectis agentibus & mole-
 ſtantibus *flatulentiis* aptiſſimam largitur ſubſtantiam (quo
 referre poſſumus teſtimonium *Sebizii de aliment. Facult. lib.*
3. cap. 7. p. 759. quibus hypochondria elata, b. e. ſuſpenſa, ob
tumorem aliquem, vel abſceſſum, aut murmurantia propter
incluſorum flatuum copiam, illis lac noxium eſt: in iſtis e-
nim aceſcit, inquit Galenus in comm. & inflatus vertitur,
quia ipſum per ſe flatulentum teſte eod. lib. 3. de alim. fac. c. 15.)
 ita tanto facilius præſentia pathemata, variis aliis novis &
 ſimul *acerbioribus* accumulare ſolet.

§. V.

Lac & Bilis *non bene* inter ſe conveniunt, dum ma-
 gnâ & ſimul valde *nocivam conſervationem* ſubeunt:
 Lac & Bilis ſe invicem in *corroſivam* aciditatem convertunt
 & varia *damna* corpori inferunt, teſtimonio morborum *bi-*
lioſorum, frequentius in *infantibus* orientium: ſiquidem
 non raro etiam Lac & Bilis ſe invicem *coagulant* & *cauſti-*
cam qualitatem generant, indeque *majorem* afflictio-
 nem morboſam cauſantur: quam ob rem illo tempore, vel-
 ut *æſtivo calido*, quando Bilis *largior* & *acrior* ad inteſtina
 confluit, Lactis uſus & ingeſtio non raro ad morbos *chole-*
ricos, colica pathemata & *connexas* alias paſſiones diſpo-
 nit;

nit; & licet *Henr. ab Heer obs. 15.* usu lactis *choleram* morbum *sanatum* proferat, *pauca* tamen sunt testimonia, quæ *similem* efficaciam *comprobant*; siquidem *præsente* adhuc *largiori Bilis* copia in *intestinarum* canali & *ventriculo*, Lac propinare consultum *haud* est; quare ex *Ballonio Epidem. p. 211.* contrariantem allegamus observationem, de *fluore dysenterico* ex usu *Lactis bubuli recentis* orto: quamdiu itaque *recrementa biliosa* in *magna congerie* præsto sunt, cautela adhibenda est, ne Lac pingue & *consistens*, aut saturatum propinetur, quod potius, si *dilutum* fuerit, tunc magis conducit, quando bilis *plurima* parte *evacuatum* est: ob id etiam *illis* Lactis usus *haud* proficit, qui ob *largiorem* bilis copiam *Massam* sanguineam, multa *tali bile* contaminatam possident, in quibus æque Lac in *hanc* delatum variis *perversis* effectibus & alterationibus ansam præbet, dum sic dictam inimicam sanguinis *fermentationem* auget, commotionibusque pravis *orgasticis* excitandis & *dyscrasiæ* sanguinis augendæ ac deteriorandæ inservit: quare in *nonnullis Februm* speciebus, in quibus *causa* morbifica *sedem* suam in *humoribus* habet, neque *naturale*, neque *artificiale* Lac *utile* esse deprehenditur, sicut plurimæ *malignæ* febres, nec non *purpuræ*, etiam non *epidemicæ*, ad hunc censum referri merentur; & quid dicamus de *scorbutica* sanguinis iniquatione, quæ, si ad *eximium* gradum jam pervenerit, Lactis usum ægre, aut non nisi valde *restrictum* perfert; quoniam in *tali* gradu & statu morbi non modo *copiosa acida*, sed & alia *mixta falsa* impuritas *abundat* & præsto est, quæ Lac ingestum tam in *primis regionibus*, quam in *humoribus* in *similem pravam* & *perniciiosam* qualitatem præcipitat:

ob id illi, qui *Scorbuti* curationem ordinant, non nisi sub *singularibus* legibus & conditionibus Lactis curam admittunt, aut herbas *antiscorbuticas* cum lacte decoctas & hoc decoctum cum *aqua dilutum* commendant: neque etiam *salubre* est, si in hætenus recensitis *pravis* humorum qualitatibus multa & *larga* Lactis ingestione *correctionem* hujus intemperiei suscipere velimus, quoniam hæc Lactis copia *efficax* præsentis impuritatis *nutrimentum* erit, quo non modo ipsa *abundans pravarum* materiarum, humoribus interfluentium congeries, sed & Lactis eximia *propensio* in inimicam *acescentiam*, ut & multiplex *commotio* Lactis cum *depravata* Massa sanguinea, & perpetuus comitatus *caloris* tantum contribuent, ut *speratus* effectus *laudabilis* correctionis *haud* obtineatur: quamvis in ejusmodi *perversa* humorum qualitate magis *dilutius serum* Lactis, quam *pingue* & spissum Lac *utilitatem* exoptatam comprobaverit: In quocunque morbofo statu *specialis intemperies* sanguinis a *chylosa*, gelatinosa aut *lymphatica* substantia sustentatur, vel in *ipsam* hanc *pinguem* humorum speciem *radicatur*, in illo usus Lactis proficiuus haud est, siquidem cum illo *chylosa* sanguinis portio *augetur*, indeque præsentis intemperiei *novum pabulum* accidit, quare in morbis *Venereis*, *Scabiosis*, *purpuratis*, *ulcerosis externis* &c. Lactis *simplicioris crassiorisque* usus, tanto minus copiosus, *salutaris* est: In quocunque *valetudinario* statu partes *glandulosæ* obstructæ & *crassa* lymphæ, aut *spisso* chylo, muco & lacte oppletæ sunt, in illo *similis* usus Lactis magis *officit*, quam proficit, quoniam *crassiori* sua portione humores *magis incrassat* & ita disponit, quo non modo præsentis *infarctus* obfirmet, sed & plane *immedicabiles* reddat; quæ

quæ singulæ observationes & *cautelæ* relationem Lactis ad *diversam* speciem *impuræ* humorum qualitatis concernunt: siquidem in talibus casibus proinde cum ordinatione *dilutioris*, tenuioris & *aquosioris* Lactis, aut feri Lactis in *speciali* methodo & modo circumspectio habenda est, quoniam variæ circumstantiæ, in *individuis* & *clinica* praxi occurrentes, ne quidem alium *restricturn* Lactis usum permittunt; unde prudentia opus est, ne *præcipiti* confidentia ad Lactis ordinationem, velut ad *indubiam* sacram confugiamus anchoram.

§. VI.

Ratio porro habenda est relationis *Lactis* ad statum *Plethoricum* & morbos inde provenientes; quemadmodum itaque *Lac pingue* largam *alimentosam* substantiam continet, qua *defectus* sanguinis sub *certarum* circumstantiarum concursu, cito *compensari* potest, ita *quotidianus*, cuiusvis Lactis, usus, quamvis *moderata* in quantitate constitutus, sub *bona* concoctione, *minusve* laborioso vitæ genere, *Plethoram* provocat, præsentem *auget*, auctam denique *onerosam*, *urgentem turgentemque* reddere adjuvat; neque tantum tali modo *quantitatem* accumulatur, sed *pleniorum* ejusmodi sanguinis copiam, *ægrius* & *impeditius* huc illuc sæpe *circulantem*, in suspectam *spissitudinem* conjicit, dum præcipue massam sanguinis indies *notabili* crassa, in *coagulum* prona, substantia permiscet, adeoque eandem ad promptiorem progressum *ineptam* magis reddit, quin potius ominosis *stagnationibus* inferendis plus contribuit & tandem sub concursu talium alterationum *dyscrasiam* sanguinis excitat, ut *morbosus Plethoricus* status, nec non prava *crassities* & *intemperies* sanguinis complicatum, qualificatum

& refractarium morbosum statum offerant; quibus damnis inferendis *usus Lactis*, sub *prædictis* circumstantiis perquam confert; in quibuscunque etiam subjectis singularis *proclivitas* ad formandum & *coacervandum* sanguinem præsto est, (de quibus subjectis judicare alii solent, daß Sie leicht blutreich würden, es würde also Speise bey ihnen zu Blut) in illis cura per Lac & Lactinia *circumspecte* est disponenda; nam in morbosa afflictione ita comprehensi ægri aut *appetitum* depravatum, *concoctionem* læsam & *ventriculum* infirmum habent, in quo statu Lactis usus *non facile* conducit, aut concoctio est *mediocris* & ventriculus adhuc aliquo *robore* instructus, sub quo statu facile *præsens* sanguinis ubertas *ita augetur*, ut, si antea *tranquilla* fuit, nunc *molestias* creet, si vero *morbosa*, commota & molesta *jam actu* est, nunc *magis* molesta inde reddatur: & quoniam Lactis promotio in *interiores* corporis regiones, ut & conversio in *lympham* & *sanguinem* non *magis* viribus aut *operosa* applicatione indiget, ita nulla fida & secura ratione Lactis simplicioris usus *plethoricis ægrotantibus* conducit: imo quoniam in *talibus* subjectis sanguis *copiosus* aut *difficilius* & impeditius aut fortius & *impetuosius* commovetur, ita in *neutro* horum statuum Lac *proficuum* erit, quoniam in *priori*, *præsentem* plenitudinem magis *aggravat* & *incrassat*, in *posteriori* vicissim rapide & *perverse* cum universa sanguinis *massa* permiscetur, subinde vero suspectis *stagnationibus* & *depravationibus* sanguinis accelerandis inservit; neque illis facile Lactis usus concedendus, quibus ob *plethoram* ægrotantibus *aliqua* sanguinis quantitas *artificiali* inventionem & *methodo* detracta fuit, ne *altera* manu denuo cau-

causam morbificam restituamus, quam una subtraximus: inde etiam facile veritas facti & causæ agnosci potest, quod homines *quieta* & sedata plethora præditi, a *communi* & *frequenti* Lactis usu in diversas *abundantis* sui sanguinis *offensiones* conjiciantur, dum ominosa *quantitatis* & *qualitatis* vitia morbifica generantur: imprimis vero talis *liberalis* Lactis usus, *illis* Plethoricis *insensus* redditur, in quibus *plenior* sanguinis copia *plus* in *vasis* sanguiferis, præcipue *venosis* asservatur, ubi alias facile in *spissitudinem* pravam delabitur; id quod tanto *certius* & *citius* contingit, si mediante Lacte *præsens* copia sanguinis *augeatur*, indeque vasa *plus* *opplentur*, nec non si *major* copia *crassioris* substantiæ humoribus permiscetur: quicunque homines ex *abundantia* sanguinis *molimina* *Hæmorrhagica* experiuntur, *illis* Lactis usus, vel *paulo* crebrior, licet per initia illa *lenire* & mitigare videatur, *imposterum* *parum* desideratæ opitulationis affert, quin potius *frequentiores* illorum recursus invitat: Minime omnium denique Lac *frequentiori*, aut *paululum* largo usu conducit *Senibus* Plethoricis, quorum *ventriculus vires* & *humores*, nec non *Se-* & *Excretionum* *successus* *haud* cum Lacte conveniunt, si quidem *variæ* inde & *fluidarum* & *solidarum* partium *alterationes* provenire solent: hi singuli respectus concernunt relationem usus Lactis ad *Plethoram*.

§. VII.

Post *generalem*, eamque succinctam, *thematis* nostri *disquisitionem*, nunc *specialiori* annotatione, quasdam *Cautelas*, Lactis usum in *nonnullis* affectibus *seorsim* concernentes, proferre lubet, ubi *primo* loco in memoriam vocamus, *eximiam confidentiam*, quam multi in quibusdam *Hæ-*
mor-

hemorrhagiarum speciebus Lactis ordinationi tribuunt, quæ commendatio cum illa *sententia* convenit, qua in Hæmorrhagiis *acrimonia* humorum, quam Lac *corrigere*, aut *orgasmus* sanguinis, quem illud *præcipitare* & compescere debet, accusatur: nec defunt in observatione medica testimonia *cobibitarum* talium Hæmorrhagiarum mediante Lactis ingestione (sicut plane *contraria* observatio allegatur, a Riedlino Curat. Med. 908. de Mensibus a lactis recentis potu, inhibitis) aut ut quælibet *æquivocationes* & singuli *accidentales* effectus rite discernantur, ne ex iisdem *regulæ*, & *directæ* indicationes therapeuticae formentur, notandum est, quod in illo casu, ubi *prædictæ* causæ *defunt*, Lactis usus ad Hæmorrhagias *haud* conducat; quemadmodum in Pathologica *sponte* orientium Hæmorrhagiarum deductione *illæ* causæ minime *principem* locum obtinent, sed tantum ut plurimum ex *accidenti* concurrunt: quando itaque curæ *Hæmorrhagiarum* cum Lacte *palmarius* tribuitur locus tunc illa magis *palliativa*, *æquivoca* & *accidentalis*, quam *fundamentalis* erit: Lac itaque sanguinem *valde rarefactum* incrassat, *serum subtile* expansivum involvit, adeoque *orgasmus* sanguinis coercet: aut non faciendæ etiam sunt *æquivoca* bona, unde *malum* evenit, si quidem Lac in *talibus* casibus *communiter* in *affectis* partibus suspectas *stagnationes* & *indurationes* post se relinquit; testimonio *Hæmoptyses*, quæ quidem aliquando *tenui* æque ac paululum *crassiori* Lacte *mitigatur*, remanente tamen ut plurimum pulmonum *infarctu*: & si in *primis regionibus* simul multæ sordes *biliosæ* & *acidæ* præsto sunt, aut facile colliguntur, si porro in *Massa sanguinis* *similes copiosæ* impuritates adsunt, tunc Lac aut *nihil*, aut

parum

parum, aut *non diu* juvat, aut pulmonum æque ac aliarum partium *indurationes* & alterationes caufatur; hinc facile *tabes*, *febris lenta*, *hectica* & mors excipiunt: quid quod evenit, ut, dum Hæmorrhagiæ *largæ*, incongruæ & ex *ſuſpectis* locis & regionibus erumpentes & ſuccedentes communiter functiones *animales* & *naturales* enervant, adeoque robur *ventriculi* & vis concoctionis languescit, tunc facile Lactis *usus appetitum* plus destruat, ventriculum & primas vias *cruditatibus* oppleat, imo obstruat, hincque *atrophicis* conſecutionibus & *anomalis febrilibus* commotionibus anſam præbeat: quare *ceſſationi* profluvii ſanguinis in talibus caſibus *fides* danda *haud* eſt, ſed de *conſecutionibus* prudens artifex ſollicitus eſſe debet: neque etiam tanta *elogia* tribuenda ſunt *Sero Lactis* in Hæmoptyſeos Cura, quando *crasſior* congrumeſcens, pinguis, caſeoſa & *viſcida* ſubſtantia e Lacte *præcipitatur*, ſub illis promiſſionibus, quod *reſiduum* eximie ſanguinem *edulcor*et, *orgaſmum* compeſcat, fibras demulceat &c. ſiquidem iterum effectus, licet *ſalubris* eſſe & *votis* reſpondere videatur, *æquivocus* eſt, dum tale ſerum ſat copioſas *ſalinas* partes, quarum non paucas a præcipitante *acido* in ſe ſuſcipit, *Maſſæ* ſanguineæ *inſinuat*, adeoque *ſuſpectam* & terribilem acrimoniam *tacite nutrit* & auget, ut propterea præcedens Hæmorrhagiæ ſubſiſtentia iterum *palliativa*, empirica, dubia, *inſtabilis* & cum multis *ſiniſtris* ſucceſſibus & conſecutionibus ſtipata & qualificata exiſtat: Sermo vero nobis in præſenti conſideratione eſt, aut de *crasſo*, aut de *nudo*, aut de *multo* Lactis uſu in Hæmorrhagiis; haud tamen propterea *omnem* in illis ordinationem improbamus, ſiquidem tantum *cautum* uſum medicum Lactis

commendamus: *Sebizius in l. c. p. 760. n. VI. ait: Lac est noxium, quibus copiosa sanguinis vacuatio facta: hi namque paupertate nativi caloris laborant naturalesque facultates infirmas habent: itaque Lac vitiatum atque acescit: In Cruenta Vomitione Lac positive & directe principalem mali causam haud tollit, quamvis variae persuasiones proferri possent, quæ singulae tamen ad rhombum minus quadrant, siquidem Lac ingestum requirit bene constitutum & quietum ventriculum; in sanguinis vero vomitu, illud Lac motus excretorios auget & incitat: siquidem exempla prostant, ubi in talibus casibus & vaccinum & caprillum & asininum Lac summas provocavit angustias: Quod brevissimis de hisce Hæmorrhagiarum speciebus monuimus, illud ad singulas reliquas applicare possumus: quam ob rem sub singulari circumspeditione in nonnullis tantum casibus exiguum Lactis usum, cum decoctis congruis, aut cum aqua temperata subterranea combinatum, aut curatorio, aut præservatorio usu admittimus, insuper vero præcipitem viam ad Lactis usum, velut ad sacram anchoram in Hæmorrhagiarum cura inquirendam, intercipimus: quemadmodum hoc subiectum non universale, sed plane particulare est, nec in empirico modo adhibendi, sed in manu periti & prudentis artificis valet.*

§. VIII.

Circumspecte porro Lac ordinandum & usurpandum est in viscerum *exulceratione & induratione*: & licet in *Phthisi & Hectica* Lactis muliebris, caprilli & asinini usui a *Sylvio* & sequacibus magnæ virtutes adscribantur, tamen creberrima observatio hæc encomia haud confirmat: hinc in *Historia Morborum* ab *Uratislaviensibus* delineat

lineata p. 163. & ex eadem in *Act. Erud. Lips. Ann. 1701. Mens. Novembr. p. 525.* testimonium perhibetur hisce verbis: *in hectica febre lactis usus quanquam maximarum de- prædicetur virium juvare tamen minime dicitur, dum pul- mones duri scirrhusi ac tuberculis referti sunt; & quoni- am in ejusmodi affectibus, præter communem virium de- fectum, reliquæ speciales functiones & simul ventriculi robur languet, ita usus Lactis & ventriculi imbecillitas ma- le sibi invicem respondent; quare cruditates acescentes ge- nerantur, quæ alias teneras glandulosas partes obstruunt, præsentibus infarctus magis indurant & confirmant, corru- ptionibus internis vero fomitem & nutrimentum afferunt, adeoque malum tale magis augment, hecticae febris concur- sum accelerant, præsentem gradum augmentant, indeque minus salubres prædictis affectibus existunt: Etsi in æ- gris, qui prædictis laborant morbis, mediocris appetitus præsto est, tunc congrua subjecta alimentosa quandoque medicamentorum officia præbent; quando vero Lac libe- raliter & promiscue ingeritur, tunc appetitus valde lædi- tur & pervertitur, unde corporis & virium major ingruit consumptio: imo in Phthisicis vulgaris Lactis usus neces- sariam expectorationem impedit, materiam ulcerosam magis incrassat & majorem respirandi difficultatem ac angustiam conciliat, nec non modo alvinam excretionem cohibet, modo suspecte laxam alvum excitat: neque etiam Lactis attemperatio cum aquis subterraneis, nisi prædicti morbi in primis suis gradibus & accessibus fuerint, notatu dignum quid in cura afferunt, utut aliquam cunctationem & mo- ram conciliare videtur: paulo plus utilitatis conferre vi- detur Lac in iisdem affectibus, quando cum speciebus ve-*

getabilibus leniter solventibus, mundificantibus & securis ac selectis traumaticis decoctum, iterumque sufficienter dilutum & rarefactum fuit: in genere vero quaelibet organa ac viscera in phthysicis & hecticis personis pro crasso & copioso Lactis vehendo, promovendo & tolerando valde debilia ac inepta sunt, unde ex illius usu multiplicia incommoda & damna metuenda veniunt: & dum Lactis usus vires requirit & bonum ventriculum, ut Martinus in tr. de Lactis usu & Ettmüllerus in Prax. de Febre Hectica monent, ita in debilibus talibus ægris circa Lactis usum magna observanda est circumspectio: haud enim sufficientia defunt testimonia & exempla, quibus contraria illius operatio in talibus affectibus probari potest: tanto major vero in hisce ægrotantibus Cautela servanda, quo minus facile facultas patet atque occasio errores semel commissos emendandi: tanto minus vero Lactis usus in hisce morbis conducit, quando potentiora adstringentia, aut valde incrassantia, aut copiosa terrea remedia præmissa, nec non multa expectorantia medicamenta propinata fuere, quæ visceribus talem attulerunt qualitatem, ut Lac crassiori sua substantia facile tam in affectis, quam aliis partibus obhærescat, infarctus accumulet, causam morbi multiplicet & totum malum immedicabile reddat: & quoniam hisce morbis oppressi homines in tacitam indignationem valde proni sunt, sub hac vero paulo largius Bilis ad intestina profluit, ita ob hanc etiam rationem salutaris Lactis effectus in hisce morbis intercipitur & annihilatur, quin potius inimica illius operatio provocatur: quando porro prædicti affectus celeriori accessu prægressas excedentes Hæmorrhagias consecuti sunt, tunc subito Lactis curam ordinare velle, consultum

tum *haud* est, quoniam ob *viscerum* singulorum *coarctationem*, quæ ob *penuriam* sanguinis contigit, *crassior* Lactis portio, quæ in qualibet hujus specie, sive vaccinum, sive ovillum, sive caprillum, sive asininum, sive humanum fuerit, reperitur, in *occlusis* talibus partibus *subsistit*, adeoque suspectas *stagnationes* & *indurationes* aut *invitat*, aut sustentat: ex quibus singulis respectibus, (quibus *plures* addere possemus, ni brevitati studere constituerimus) facile inclarescit quanta *prudencia* & dexteritate opus sit, in prædictis affectibus curam cum Lacte commendare velle, ne in *indiscreto* & *universali* sensu accipiatur elogium, quasi in iisdem nulla præstantior, quam Lac constituit & exhibet, reperiatur Medicina.

§. IX.

An Lactis usus *hypochondriacis* proficius existat, merito inquiritur: nos brevi decisione *negativam* tuemur, id quod jam §. 3. indicavimus: etenim ut plurimum hoc morbo oppressi *spisso* & *impuro* sanguine, alvo *obstructa*, multa *flatulentia*, *cruditatibus* ventriculi *acidis*, *biliosis* & mucidis viscidis, turbato & *instabili* ventriculi robore, *interdum* infarctu *splenis* & *hepatis* laborant & præditi sunt, cum quibus *singulis* qualitatibus, juxta præmissas demonstrationes, Lac nullum *simplex* convenit; hinc quidam rectius *Serum Lactis*, cum aptis *resolventibus*, *aperientibus* & *roborantibus* decoctum, substituunt & commendant: & quoniam Lac *hepaticis* & *spleneticis* i. e. horum viscerum vel majori vel minori *induratione* laborantibus, haud proficit, hæc viscera vero in *hypochondriacis* admodum compatiuntur, ita ob solam hanc rationem vix facile Lac talibus ægris concedi debet, tanto minus quoniam ejus usus in

hoc affectu prædictarum partium afflictiones *symptomati-*
cas provocare potest & solet: nec *tanti* facienda est in e-
odem morbo Lactis *commixtio* cum *aquis* foteriis, quoniam
illud harum aquarum virtutem medicamentosam *perverte-*
re & sufflaminare solet, quo minus sufficienter resolvere,
diluere,aperire,abstergere & necessarias *evacuationes* faci-
litare queant: neque etiam hæ aquæ præcavere possunt,
quo minus *crassior* Lactis substantia aut cum prædictis *cru-*
ditatibus inique confermentet, aut massæ sanguineæ se in-
finuet: quare *cautela* illa observanda est, ut *prius* in hoc
affectu illa *offendicula removeantur*, quæ Lactis usui ullo
modo *obesse* possunt,quorum nonnulla modo commemo-
rata sunt: Neque *Lac*,*Lacticinia* & quæ de Lactis *proxi-*
miori profapia *pinguia* sunt subjecta, velut sunt *emulsiva*,
in *Biliosis* affectibus admitti possunt,velut sunt *cholera sim-*
plex,aut cum *febre* stipata,*colica* & *diarrhæa biliosa*,*Vomi-*
tus biliosus,imo ipse *Icterus*: pessime enim *Lac* cum *bile* con-
venit,& potius valde infensam & *morbificam* fermentatio-
nem init; unde præsentis morbi in principalibus suis ef-
fectibus augentur: quare *Lac* in subjectis *bile abundantibus*,
multamque illius copiam in *intestinis* gestantibus, *colicos*
cruciatibus & atroces *alvi fluxus* causatur: quid quod in
Dysenteria non *promiscuus*,aut communis Lactis usus pro-
ficit; hinc multi medici illius usum, *præsente febre* plane
interdicunt; sed ratio etiam habenda est *temporis*, nam si
mox ab *initio* *crassius* *Lac*, quando acris *biliosa* saburra in
magna congerie præsens est, ingeritur, morbus in *deterio-*
rem ruit statum,dum potius *Lac dilutius*,excreta prius *prin-*
cipali saburra,quæ malum hoc *provocavit*,opem quandam
promittit: & quando magna *Bilis sinceræ* copia per San-
guinis

guinis massam diffusa est, velut in *Ictero*, tunc perinde *Lac pravam* sanguini qualitatem conciliat, *qualificatam* videlicet & complicatam *acrem aciditatem* in illo excitat, perniciosam & præcipitem ejus *spissitudinem* causatur & tandem ad concursum commotionum *anomalæ febrilium*, febris *Lentæ & Hæcticæ* disponit: quamobrem insuper prudens medicus in illis morbis, qui per *iracundiam & terrorem* provocati sunt, quamvis non sint *proprie biliosi*, tamen quia colluvies *bilis* in *ventriculo, intestinorum tractu*, aut plane *sanguinis massa* adest, cum *Lactis* ordinatione non facilis aut liberalis est, quale quid observandum est in *Hemiplegia* id quod pariter considerandum erit, in subjectis, quæ ante morbosam aliquam invasionem crebrioribus *indignabundis & iracundis* commotionibus obnoxia fuerant, in quibus semper *magna bilis effusæ copia* adest, cum qua in nullo loco & nullo tempore *Lac* bene congruit, quin *graviora* inde nocumenta metuenda sint: lac enim cum bile, interveniente motu *caloris acerrime* confermentat & *corrosivum* generat magma, id quod *simplici* experimento *chymico* ad sensus demonstrari potest, si videlicet *Lac* pingue cum *bile extra* corpus humanum miscetur, & aura *tepidæ* admittitur, tunc non modo *citius* utriusque *fermentatio* succedit, sed & *acidus causticus* valde liquor separari & destillari potest.

§. X.

Et qui non, ferme *miraculosi*, salutares effectus de Cura *Lactis* in *Spasticis*, videlicet *Arthriticis & Podagricis* affectibus prædicantur! haud omnem illis fidem quidem denegare audemus, interim a *particulari* & nonnullo, haud ad *omne & universale* concludere malumus: quicumque
vero

vero illi sententiæ subscribunt, quod *tales spasmi* a sanguine impuro, *falso*, acido fixo, tartareo, acri &c. oriantur, illi facile ex ejusmodi *particularibus*, ac aliquando *accidentalibus* successibus practicis *regulam* constituere poterunt; posteaquam vero ab *Illustri D. D. Stablio*, ut & a *D. D. Præsidente* in multis Scriptis *solide*, sufficienter & ex abundanti demonstratum fuit, quod horum affectuum *formalis* & *principalis* causa *ut plurimum* plane *alterius* qualitatis existat, ita facile inclarescit, quo *nexu* salutaris Lactis usus in prædictis Spasmodis gaudeat: exserunt quidem Spasmi se forti fibrarum motricium *tensoria* strictura, quam interna & externa *lenientia*, *emollientia*, *diluentia* & humectantia *mitigant*: an vero ita nude *indiscriminatim* & absolute consultum sit, juxta *methodicorum* medicorum canonem, *stricta relaxare* & *laxa stringere*, prudentes & periti Medici haud *promiscue* affirmant & comprobant: unde non raro contingit, ut hæc Curationes suspecti *ædematosi tumores*, *stupores* & *atonie* partium, ante affectarum, aut *torpores* illarum, consequantur: *conf. Celeb. D. D. Stablii disp. de tumoribus ædematosi Podagricis*: exinde succincta conclusione argumentamur, quod Curatio nominatorum affectuum admodum *judiciose* cum Lacte institui debeat: non quidem nos *elogia* hujus Curationis latent, ex quorum numero allegamus *Greiffelii tract. de Cura Lactis in Artbritide*, *Waldschmidii disp. de Cura Lactis Podagricorum solatio* & *A. N. C. Dec. I. an. 1. obs. 141. de artbriticorum solatio Lacte* & *in app. p. 32. seq. de Cura Lactis*: non desunt tamen testimonia, quæ *cautum* Lactis usum in hisce affectibus præcipiunt: ipse *Waldschmidius l. c. cap. 5. dicit: non indifferenter hæc cura omnibus applicanda, nec Lac semper & omni Artbritidi convenit*:

venit: in observ. 141. A.N.C. cit. notatu digna occurrunt verba p. 279. Novi nobilem quendam in Silesia annorum circiter 40, articulari morbo maxime afflictum, is non solum nihil ab hac cura lactea levaminis sensit, sed tumorem & inflationem totius corporis periculosam, ut abstinere coactus fuerit, nisi vellet nigrum Sarcophagum in Lacte quærere & Lactis vehiculo ad viam Lacteam coeli properare: fide dignum porro testimonium perhibet Dolæus in Encyclopædia Medica Lib. 3. c. 14. p. 356. b. hisce verbis: sunt tamen alii nescio ob quem errorem ac causam forte ob nimium acidum in primis viis idoneis absorbentibus antea non sublatum, lac ferre non possunt & male se habent, prout exemplum habemus in nostro Comite de W. P. a lactis usu demortuo; sic nobilis Præfectus Dn. de R. a lactis usu in fluxum hæmorrhoidalem adeo vehementer incidit, ut ad libras duas sanguinis singulis diebus effuderit, & nisi usum ejus omiserit in hydropem inciderit: huc referimus Thiermairii judicium in Consil. Lib. 2. cons. 24. ubi adserit, plus de Lactis usu in arthriticis morbis laudatur, quam præstatur & probatur: accedit Schneideri confessio in tr. de Arthritide & Podagra, qua circumspectum Lactis usum in hisce affectibus commendat, insuperque indicat, quod facile colicæ, suspecti alvi fluxus, vomitus & spasmodum retroactiones sive conversiones ad interiora nobilia viscera cum Lactis usu in hisce morbis provocari possint: hisce testimoniis virorum fide dignorum non modo si necessitas requireret, multa adjungere, sed & ex observatione medica exempla proferre possemus, quod in hisce affectibus Lac aut nihil levaminis, aut multa incommoda & prava consuetudine provocaverit: ubi tamen nullius in hisce casibus valoris esse indicamus, quando excipi forte posset, ac si

promiscue, perverse & imperite Lac adhibitum fuerit: etenim *quodcunque* subjectum medicamentoſum in *certis* casibus plane *nullius* utilitatis est, illud sub optima licet *præcautione* in iisdem casibus haud salubre esse potest, nedum quidem *indifferentem*, sed communiter *sinistrum* effectum producit: Quando itaque hi Spasmi *præsentem* molestam sanguinis copiam, huiusque *proximior* depletionem urgent, tunc *nudo* aut *principali* Lactis usu niti velle, consultum *haud* est, quoniam Lac illam *nimiam* sanguinis copiam auget; id quod tanto magis in subjectis *illis* observandum est, quæ cæteroquin *bona vi* concoctionis instructa sunt, indeque facile *multum* chyli, lymphæ & sanguinis comparare solent: nisi itaque sanguinis *urgens* quantitas aut *antea* imminuta fuerit, aut proximius *post superatum* talem spasticum insultum adhuc depleatur, cura hæc adeo *sincera* & *secura* *haud* est: proinde magna sollicitudine prospiciendum est, ne cura hæc ordinetur, quando cruditates & impuritates *ventricul* & *primas vias* onerant: neq; etiam Lac *simplex*, tanto minus *crassum*, facile in *hisce* affectibus commendare convenit; quibus animadversionibus & cautelis *multæ aliæ* addi possent, si nostrum institutum esset, *speciali* cura singulas practicas cautelas significare: Suffecerit tantum *in thesi* indicasse, quod in *hisce* etiam affectibus *non promiscuam* fidem Lactis elogiis tribuere debeamus: quam ob rem ante nominatus *Greifselius l.c. artic. VIII. quæst. 6. p. 172. qv. 5. p. 166.* varias annotationes & cautelas, circa Lactis usum in *hisce* affectibus observandas, profert & *quæstione 3. p. 162.* rotunde affirmat, quod *nequaquam* Lactis *usus omni periculo careat*: Et quando *Ettmüllerus in Opp. Pract.* ubi de *Mali Ischiadici Cura* tractat, usus Lactis in talibus

libus affectibus *spasticis* reminiscitur, addit notanter: *iis autem saltem convenit subjectis, quæ bene & sine corruptione illud perferre possunt, item, quæ gracilia & macilenta sunt, de quo vid. Tacchenius Princ. Morb. p. 416. Sub usu autem hujus æger ab omnibus alimentis abstineat. vid. Boneti Mercur. Compital. p. 35. Interim spasmodis afflicti & subjecti homines communiter varias cruditates & impuritates in ventriculo asservant, quæ cum Lacte ægre conveniunt.*

§. XI.

Quid judicandum sit de usu Lactis in *Febribus* circumspecti medici inquirunt. *Hippocrates* Lac *Febricantibus* prohibet: nec desunt *rationes & observationes*, quibus hujus asserti *veritas* confirmari potest: *incongruam* Lactis ingestionem *Febrem intermittentem* provocasse, testatur *Benninger Cent. 3. obs. 44.* quid quod asseveramus, quod Lac, licet cæteroquin *dilutius* fuerit, ne quidem admodum *circumspecte* usurpatum, pro *Cura talium* *Febrium* conducatur, quoniam fomes aut *materia febrili*, in *primis regionibus* obhærescens, Lac in genere *male* perfert, hinc jam velut in proverbium abiit, Milch und was davon gemacht wird, nähret das Kalte: ita etiam *Sebizius l. c.* Lac *Febricantibus* interdicit: *Bonetus in Mercurio Compitalitio lib. 19. p. 821. §. 41.* fluctuat & ambigit, dum nunc Lac in *Febribus* *rejicit*, nunc *admittit*: consultius ab illius usu abstinetur, dum *ventriculo* nunc debili & *organis se- & excretoriis* haud exiguas affert *molestias* ac *difficultates*, nunc sanguinis *liberum* motum *crassa* sua substantia *impedit* & turbat, imo ipsam *proximam* febris causam sæpe & facile *sustentat*, exacerbat & in *plurimis* subjectis sub *febrium decursu* in *primis viis* variis turbis excitandis inservit: & quoniam Lac facile *fermentat*, in multis insuper

Febribus *materia* Sanguinis Massa intermixta *ejus* qualita-
tis est, ut perinde acceleratam humoribus *orgasticam* com-
motionem & *resolutionem* conciliet, ob id consultius Lactis
usus in Febribus *omittitur*, quam admittitur: imprimis quo-
niam Lac pro diversitate *subjectorum* & ipsarum *Februm*
facile nunc cum præjudicio alvum *obstruit*, nunc adverse
laxat, adeoque periculosos alvi *fluxus* caufatur: hisce mo-
mentis annumeramus, quod *reliquæ* virtutes, quæ *Lacti* tri-
buuntur sub usu & Cura in *Febribus*, velut quod *refrigeret*,
Sitim leniat, *causam* morbi infringat &c. admodum *hypo-*
theticae & *ancipites* sint, quibus propterea tam facile fides
haud danda erit: in *malignis* denique Febribus Lac *minime*
omnium confert: hinc in præcedentibus indicavimus,
quod magna pariter cum circumspectione *Emulsiones* phar-
maceuticæ in *Febribus* adhiberi debeant: An porro *Calcu-*
losis Lac conveniat, Medici merito quærunt & decidunt:
crassum Lac Galenus *lib. 3. de alim. fac. c. 15.* calculosis *noxi-*
um esse judicat, & *Rolfinckius* ampliat & extendit hoc as-
sertum, *dum Consult. Med. Lib. 9. cons. 1. p. 818.* *Lacticia omnia*
calculizantibus noxia esse declarat: sed missa illa plebeja
traditione, quod *Caseus Calculum* generet, non quidem *pe-*
nitus in Calculosis *Lacticia* *rejecimus*, sed teste experien-
tia *peritum*, modicumque Lactis *dilutioris* usum utilem es-
se enunciamus: sed requiritur iterum quoad *hanc* ordi-
nationem circumspectio, ne nimia propensione ac favore
in Lactis usum occæcati *incongruas* Lactis ordinationes in-
stituamus: ad hanc *judiciosam* vero & peritam Lactis com-
mendationem & oblationem, debita *corporis præparatio*
& *inimicorum* humorum tempestitiva *remotio* pertinet: In
Convulsivis morbis sunt etiam Medici, qui Lactis usum mi-
nus

nus probant. *conf. Sebizius l.c. p.760.* quando videlicet ab eodem cruditates & impuritates, generi *nervoso infensas*, metuunt, dum pro varietate circumstantiarum & *consistentia* & *qualitas* reliqua sanguinis a *crassiori* Lacte inique alterari potest & solet: interim non desunt effectus & testimonia, quibus *salubritas cauti* usus Lactis, vario modo *attemperati*, confirmari potest, modo antea *primæ viæ* ab aliis *præjudiciosi* materiis liberatæ & *repurgatæ* fuerint: Addimus adhuc illam animadversionem, quod in variis morbis Lac cum *temperatis* vegetabilibus decoctum non exiguum *opem* afferat: haud tamen consultum est illud cum *potentius adstringentibus*, *acidis*, *acescentibus* & *dulcibus* miscere, quæ singula additamenta aut ad inimicam Lactis *coagulationem*, aut pravam *fermentationem* disponunt.

§. XII.

Paucis adhuc *Topicum* Lactis usum *caute* etiam instituendum esse monemus: valde enim Lac *extrinsecus* applicatum emollit & relaxat; in quibuscunque itaque affectibus & doloribus *magna* & *repentina* partium *emollitio* & *relaxatio* utilis haud est, in illis Lac *judiciose* adhiberi debet: *minus* utilem itaque effectum præstat in *Spasmis* & *Convulsionibus*, quoniam communiter ominosas & periculosas partium affectarum *inflationes* & *enervationes* causatur, aut plane ad *paralyticas* consecutiones disponit: neque etiam in *Rheumatismis* securam opem promittit, in quibus æque suspectam *Atoniam* & humorum *stagnationes* post se relinquit: minime convenit in *Erysipelate*, dum *peffimæ corruptioni* stagnantis lymphæ & sanguinis viam pandit: in *ma-*

joribus inflammationibus & gangræna raro exoptatam conciliat opitulationem, nisi parciior illius quantitas & addita discutientia remedia ejus valde lenientem efficaciam corrigant: in *tumoribus frigidis œdematosis*, nec non in *secessionibus* humorosis ad partes *membranosas* & *intra juncturas* ac articulationes membrorum *caute* Lac adhiberi debet, ne præsentēs afflictiones augeat: ad partes *Atonia* præditas vel *solius* Lactis, vel *frequentior* Lacteorum applicatio, minus fructuosa est: quando ad certas corporis partes ac regiones larga *secessio humorosa* contingit & continuat, velut ad *caput*, intra *cerebrum*, ad *oculos*, *pulmones*, *intestina* &c. tunc valde parcus & *circumspectus* usus externus Lactis esse debet; alias affluxus ad hæc loca augetur; hinc topicus Lactis usus in *abdomine* adhibitus, alvum *laxam* & *lubricam* ac *fluidam* reddit, in *pectore* vero applicatus, *expectorationem* invitat & quidem non nuda partium *relaxatione*, sed etiam per promotionem *affluxus* humorum in hæc loca: *Dolores* acerbiores si *nudo* Lacte *leniuntur* & sedantur, interdum *pravis* confectariis subjecti sunt: *Tumores occulti* & *diurni pblegmonodei*, *malum mortuum*, *cancer uterque*, Lactis applicationem male perferunt: Et quanquam de *Balneis* & *Fomentis*, cum Lacte conficiendis, magnæ laudes de prædicentur, attamen satis sæpe illorum usus & effectus *irritus* est, ad minimum cum declamatis elogiis haud satis congruit; id quod præcipue valet de usu horum balneorum & fomentorum in affectibus *hypochondriaco-hystericiis* aliisque spasticis: *Injectiones* chirurgicæ cum Lacte æque cum *moderamine* suscipi & institui debent, ne partes affectas *nimum* emolliant & *relaxent*, neve in abscessibus *recrementa*
crassa

crassa, male fermentantia & affectum *exacerbantia*, relinquunt: ad *Partum* promovendum Lac usu externo caute adhiberi debet, ne nimia partium *emolitione* & humorum copiosa *affluxione* necessarios motus turbet, enervet & *extinguat*; inde partis affectæ reparatio ægre expectanda erit: *Vulneribus* Lac simplicius haud bene quadrat, virtus enim Lactis *balsamica* admodum anceps & limitata est; quin rectius Lac *præpollente* leniente & *emolliente* efficacia vulneribus facilius *inimicum* fieri potest & solet: Ex quibus annotatis perinde liquet, quam providus usus Lactis esse debeat, *externa* applicatione: Et ita in compendio tantum indicare & quadantenus demonstrare voluimus, quanta *fidelucia* & *prudencia* in foro Medico *Lacte* uti liceat, ne *plura* de eodem promittantur & expectentur, quam *veritas facti* testatur: Singulas nostras positiones & rationibus & observationibus & Doctorum suffragiis fulcire possumus: ast quoniam propositum nostrum fuit, digito tantum & ad minimum *in thesi* monstrare, quod Lactis usus non tam *immensus* ac velut *miraculosus* sit, uti quandoque extollitur, ita suffecerit *præsens* tractatio *nostris* respectibus: satisfacere etiam poterunt ulteriori meditationi & conciliationi; quam ob rem vela nostra contrahimus. DEO Benignissimo humillimas pro præstito auxilio gratias tribuentes. Ejusque cœlesti directioni labores nostros consecrantes, quo iisdem ex almo nutu & cœlestis benedictionis afflatu semper salutaris & exoptatus affulgeat.

F I N I S.

Vir.

Virtutum fructus post tot discrimina rerum
Ornat eum, qui se præstat vbique Virum
Et meritum expectat plaudente Helicone brabeum,
Quod dat ei Phœbus. Sint rata vota precor.

*Nobilissimo Domino Candidato amicitiae
testandæ causa scrib.*

Ernestus Aug. Thümmel,
J. V. Candid.

Serther Mann,
vergönne doch, da sich ietzt Dein Glücks-
Stern zeigt,
Welcher Deiner weisen Scheitel einen Doctor - Hut
aufsetzt,
Und der Ehren Palmen-Zweia sich zu Deinen Füßen
beuget,
Daß sich auch ein treuer Diener über Deine Ehr' er-
gözt,
Und vor Freuden dieses wünscht: Lebe lang in Deinen
Ehren,
Dir sey alles Unglück fern, welches Dir beschwerlich
ist:
Deine Curen segne Gott, Dich muß nie der Neidhart
stören,
Auf daß stets in Deiner Wohnung Friede, Heil und
Glück sich küßt.

Mit diesem wenigen wolte dem Hrn. Doctorando, als seinem
Hochgeehrtesten Hrn. Vetter schuldigst gratuliren

Christian Friedrich Thümmel,
S. S. Theol. Cult.

